verba, non esse facile, seu statim desperandum, sed perseverandum esse patienter; nam verbum Dei sæpius repetitum solet tandem aliquando operari, et ad hoc ponderat illud verbum Pauli: *Oportet esse patientem*; et illud: *Mansuetudine*, et propterea exponens illud verbum, *devita*, dicit: *Hoc de illo monet qui corrigi non vult, quem insanabili morbo detineri videris*, unde concludit: *Ab illis solis discedendum est, de quibus apertam possumus ferre sententiam, certique sumus quod, quantatibet faciamus, eos nunquam ad veritatis viam revocabimus*. Hoc autem etiam in eo casu li-

distinguitur a divo Thoma; vel enim illi qui adsunt, docti sunt, vel indocti; quando sunt prioris conditionis, moraliter nihil est periculi, et ideo regulariter ac per se loquendo licita est talis disputatio ex parte audientium, quia non datur illis occasio errandi; quod si ipsi fortasse illam sumpserint, eis, non disputanti imputabitur. Docti autem hoc loco vocantur, non solum perfecte litterati, sed omnes qui capaces sunt talis doctrinæ, et illi aliquo modo student, quia hoc satis est ut ex auditione disputationis illis periculum non creetur. De indoctis vero, et communi plebe, iterum D. Thomas distinguit: nam vel in sua

grave munus exercente, et præterea maxime impedire potest disputationis fructum, ut optime docuit Chrysostomus, dicta homil. 6, in 2 ad Timoth., quia, ut verbum fructificet, oportet ut alter grate audiat; *grate autem afficiatur*, inquit Chrysostomus, *eum qui injuriis afficitur, vix contingere potest*. Tertio, ita agendum est, ut non contra personam, sed contra errorem, nec ad confundendum disputatorem, sed ad veritatem illi ostendendam agi videatur, ut recte dixit Hieron. lib. 1 contra Pelagian., circa medium: *Non de adversario victoriam, sed contra mendacium quæramus veritatem*. Quinque

ad comprimendos hæreticos, vel ad tuendos et conservandos Catholicos, est, ne doctrina hæretica diffundatur; quærimus autem an jure et convenienter talis prohibitio librorum hæreticorum fiat? Et ratio dubitandi esse potest, quia, licet in his libris sint multa falsa et erronea, tamen etiam sunt multa vera, et interdum docta et erudita; ergo non expedit hujusmodi libros omnino prohibere, vel igni tradere. Probatur consequentia, primo, quia non sunt eradicanda zizania, eradicando simul et triticum. Secundo, quia consilium Pauli, 1 ad Thessal. 5, est: *Omnia probate, quod bonum*